

antiquarische Bibliothek

~~5. 11. 21~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.
M-54.
SIGNAT. 1515CCCXIII.

III
3. R.



9) 605
PSALMVS XXX.

**EXALTABO TE DOMINE, QVO-
NIAM SVSCEPISTI ME &c.**

CARMINE REDDITVS.

Ab Eras. Flock D:

NORIBERGÆ.

M. D. LIX.

Mense Iunio.



DE FRVCTV ET

VTILITATE LECTIONIS

PSALMORVM,

Ex Elegia H. Eobani Hessi
admonitio.



Visquis habes uarijs obnoxia pectora curis,
Acceptoq; aliquam uulnere quaeris opem,
Nec potes humana, quacuncq; sit, arte iuuari,
Haeret, & est soli spes tua fixa Deo.
Inspice Psalmographi diuina poemata uatis,
Inuenies quæ te cura leuare queat.
Siue tuis nocuit grassator finibus hostis,
Non alia melius pellitur hostis ope.
Seures est peculata tuas manus improba furum,
Inde, quod ablatum, reddere possit erit.
Exactum patria premit inuidiosa tyrannis,
Hinc tna solêris tristitia fata licet.
Insidias posuere tui tibi, & undiq; captant,
Cum Dauide Deum consule, tutus eris:
Pignoribus uiduata domus tua luget ademptis,
Auxilium luctus non aliunde feres.
Pauperie premeris, domus esurit, urget egestas,
Hunc pete, ab hoc diues copia fonte fluet.
Iam tua carnifices populantur corpora morbi,
Hinc ueniet morbis certa medela tuis.
Pressus es inuidia, uulgo contemptus haberis,
Huius ab exemplo tu quoq; fortis eris.

Pulsus

Pulsus es è summis, deiectus ad infima luges,
 Hunc sequere, euades infera, summa feres.
 Assiduis culti sterilescunt solibus agri,
 Hinc pete, fructifero qui riget imbri solum.
 Imbribus assiduis sunt obruta semina terræ,
 Hinc pete qui iustis solibus arua iuuet.

Et paulo post.

Deniq; quicquid erit, quæcunq; incommoda rebus
 Humanis aliqua clade nocere queant,
 ” Omnia Psalmographi diuina poemata uatis
 ” Spe certa, & forti pectore, ferre docent.
 ” Et non ferre modo, uerum quoq; pellere, si quis,
 ” Pectore, quo cecinit qui dedit ista, canat.
 ” Nec modo fortunæ, dubijsue medebere rebus,
 ” Minat ab hoc animæ maxima fonte salus.
 Tam non ulla malæ mens est sibi conscia culpæ,
 Quæ non inde habeat quo sua damna leuet,
 Tam nullum miseris grauat intolerabile sensus,
 Quod non hic aliqua parte leuetur onus.



A ij AD

AD CLARISSIMUM,
MVM, DOCTRINA ET VIRTUTE
PRAESTANTEM VIRVM, DOMINVM
HIERONYMVM IM. HÖP,

Patritium, & Senatorij ordinis in Repub. Nori-
bergensium amplioris, Dominum,

Fautorem suum Reuerendum,

ELEGIA,

Segnius irritant animos demissa per aures,
Quam quæ sunt oculis uisa tubinde tuis.
Segnius irritant oculis quæ cognita mentem,
Quam quæ uita fugax comperienda tulit.
Quos in uita offert rerum experientia doctrix
Casus, afficiunt acrius, ossa petunt.
Nonne mouent animos minus ipso nomine tantum
Vina data, at feriunt pectora, uisa magis.
Sin ex cælatis fuerint crateribus hausta,
Acrius extimulant corda, quieta prius.
India si fuerit uerbis depicta canoris,
Afficiet, quæ si uisa sit illa, minus.
At si uiuus ea fortè in regione moreris,
Illius & casus experiare loci.
Omnia quæ ueniunt usu tibi gesta, monebunt
Certo, quod ex illis afficiere magis.
Denique, quicquid erit, quod fors fert obuia, mentem
Sæuius irritat, commonet atque tuam.

Sic

Sic ubi Iesscos audis recitare dolores,
 Aut, quibus exultat, læta Trophæa legis.
 Afficiere minus, quàm si data forsitan essent,
 Hæc eadem alterius conspicienda typo.
 Iubila sin te ipsum, seu tempora nubila tangant,
 Qualia Davidem iam tetigere pium,
 Cum tua res, paries quia proximus ardet, agetur.
 Cortice cum discas ipse natate tua,
 Scilicet affectus tunc irritabere ueros,
 Læta erit, aut animi tristis imago tui.
 Ergo parem nactus Davidis munere uatis
 Psalmum, fortunæ consona plectra tuæ.
 Tunc primum uerum, dubio nec ab ore saporem
 Suscipies, & erit mens tibi nota senis.
 Lætius orabis Psalmos, illisq; fauebis,
 Atq; boni sapiens Mystica dona Dei.
 Psalmographi affectus, laudes, grate scq; precesq;
 Gaudia, uota, cruces, qui dedit ista, scies.
 Testis eris uerax, licet experientia paucis
 Exemplis, ætas quæ tulit ista, mihi.
 Sic Melos hoc gracili renouatum carmine Psalmi,
 Segnius auditum nescia corda ferit.
 Quo liber curis, maior ornatus honore,
 Iam quod erant montis robora firma sui.
 Exultat, Dominum celebrat, sine lege triumphat,
 Et toto grates pectore reddit ei.
 Quin nunquam Psalmos affectu orabis eodem,
 Tu nisi sustineas, quæ tulit iste senex.
 Inunc atq; illos audi resonare, nec unquam
 Vtere, quis tamen his casibus usus erat.

A iij

Nectar



Nectar & Ambrosiam spectanda fateberis esse
Apposita, at sera fauce bibenda tibi.
Sed ueluti monachus tetro modulamine ficto,
Exigua Psalmos utilitate canes.

At Tu, qui puro Dominum reuereris honore,
Illius atq; pio dogmata corde foues.
Tu qui metiris, qui intelligis atq; piorum,
Quam recreent animos tanta trophæa novos.
Qui quoq; Pegasidum nitido de fonte bibisti,
Tempore quo sacer est factus uterq; choro.
Præstans, ac celebris doctis Hieronyme musis,
O Decus, ô stirpis fama benigna tuæ.
Hos passis trepidos conatus excipe palmis,
Districtasq; nouo foedere iunge Deas.
Excole botrifero uinetum palmite quassum,
Illius & uiridi consere uite solum.
Illud odoriferis, age, circum floribus orna,
Germine pampineum iam decus adde tuo.
Lenior ut recreet uicinæ spiritus umbræ,
Languentes gemitu feruidiore Deas.
Tunc hæc Musa botros decerpit læta tumentes,
Assumet uires atq; resecta nouas.
Pieris infuso craterem Nectare dulci,
Iamq; labore suo fessa, quieta bibet.
Præstans, ac celebris doctis Hieronyme musis,
O Decus, ô stirpis fama benigna tuæ.

Eras.

PSALMVS XXX.

EXALTABO TE DOMINE, QVO-
NIAM SVSCEPISTIME &c.

CARMINE REDDITVS.

Ab Eras. Flock, D.



Aude tuū digna, tua nomen ad æthera tollam,
Qui Dominus nitidi es totius orbis opum.
Aduersa nāq; es misero prope sorte labanti,
Dignatus uires exeruisse mihi.

Hostileſq; animos ſua iubila blanda tulisti

Me ſuper afflictum nulla fouere uirum,

Cum ualida, Domine atq; Deus, te uoce petebam,

Languida ſanabas membra dolore mihi.

E ſtygns animam raptuisti faucibus ægram,

Qua mihi uita, Deus, conſtitit uſq; mea.

Tu mihi ſeruasti diuino robore uitam,

Illos cum raperet ſub ſtyga Pluto lacum.

Corda pñ, Domino cantate encomia ſancto,

Cantibus hymnionis, Carmine, uoce, tonis.

Laudibus illius pietatem extollite ſanctam,

Et memori grates reddite mente Deo.

Nam ueluti freno fugit haud remorante puſillum

Temporis, excandens ſic fugit ira ſua,

Ac, licet ingenti furor eius ferueat æſtu,

Illi uita tamen gratior omnis erit.

Noctis ab exortu lacrymas uix fundere ceſſas,

Mane, cor exhilarant gaudia motatum.

Nunquam

„ Nunquam (dixi) animo nimis exultante superbe,
„ Sors erit inferior, quàm fuit antè, mea.
„ Namq; tuum iuxta arbitrium (Deus unice) iustum,
„ Auxisti montis robora firma mei,
„ At cum tu faciem, quasi ducta nube, tegebas,
„ Mox grauis ossa tremor cepit habere mea.
Ad te uoce aucta Dominum clamabo Supernum,
Confugiam lacrymis ad tua iura meis.
Quæ manet utilitas? quis & huius sanguis usus,
Si mors è uiuis me fera tollat, erit?
Num puluis meritas poterit tibi reddere grates?
Quam tua sint dicet Numina fida, Choris?
Quin audi aure Deus facili, miserere precantis,
Sis Domine adiutor non dubiusq; mihi,
„ Quas ego mittebam lacrymosa uoce querelas,
„ Factæ hęc sunt iussu læta choræa tuo.
Quo uestitus eram, dempsisti à corpore saccum,
Ilia cinxisti læticiaq; mea.
Ut te, parta tuo mihi nutu, gloria laudet,
Nec cantu cesset languida facta suo,
Mi Deus, in quæuis tibi pergam dicere grates
Secula, non finem, non habitura modum.



Lang VI 54

ULB Halle


3

003 896 110



56a





PSALMVS XXX. 9) 605

EXALTABO TE DOMINE, QVO-
NIAM SVSCEPISTI ME &c.

CARMINE REDDITVS.

Ab Eras. Flock D^s

NORIBERGÆ.

M. D. LIX.

Mense Iunio.

